SENTENCIA

IN PROCESSV VICARII, PORTIONARIORVM, ET CAPITVLI PARrochialis Ecclesiæ Sancti Michaëlis Ciuitatis Darocæ.

CONTRA DECANVM, CANONICOS, ET Capitulum Collegialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Sanctissimorum Corporalium eiusdem Ciuitatis.

Super iactatione circa ius decimandi.

Per Illustrem Dominum Doctorem Don ANTONIVM XABIERRE, *Priorem Sanctæ Christinæ, Officialem Ecclesiasticum Illustrissimi Domini Archiepiscopi Cæsaraugust. lata & promulgata.*

IN DEI nomine Amen. Nouerint vniuersi, quod Anno à Natiuitate Dñi nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die verò computata decima nona Mensis Aprilis apud Ciuitatem Cæsaraugustæ Regni Aragonum, & in quodã processu, & causa in Curia Ecclesiastica dictæ Ciuitatis, & Archiepiscopatus Cæsaraugust. vertnete. Intitulato: *Processus Vicarij, Portionariorum, & Capituli Parrochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis Ciuitatis Darocæ: Contra Decanum, Canonicos, & Capitulum Collegialis Ecclesię B. Mariæ Sanctissimorum Corporaliũ ieiusdem Ciuitatis, super iactatione circa ius decimandi*: corã Admodũ Illustri Dño Doctore D. Antonio Xabierre, Priore Sanctæ Christinæ, in Sancta Metropolitana Ecclesia Sedis dictæ Ciuitatis Cęsaraugust. Officiali Ecclesiastico principali dictæ Ciuitatis, & Archiepiscopatus: pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Don Fr. Ioanne de Peralta, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopo Cæsaraugust. Regio Consiliario, &c. In iudicio pro tribunali sedẽte, & causas publicè more solito audiẽte, decidẽte, & terminante: Cõparuernnt personaliter constituti,

Fer-

Ferdinādus Sāchez, & Michael Hieronymus Rios, Notarij causidici Cæsaraugust. Procurat. partium respectiuè; quibus instantibus, & supplicantibus, dictus Dominus Officialis seruatis seruandis, quandā in scriptis protulit, legit, & promulgauit diffinitiuam sententiam huiusmodi sub tenore. CHRISTI nomine inuocato, Attent. content. pronūtiamus, & declaramus: Quod cum apud Aragonenses ab antiquo; hominū conditio discernatur: vt quidam Infantiones, quidā verò Signi seruitij appellentur: prout ex Foristarum traditionibus apparet. Taliter quod Infantionis nomine omnis contineatnr nobilitas: & cū per Decanum (olim) Priorem, Canonicos, & Capitulum Sanctæ Mariæ Sanctissimorum Corporalium Ciuitatis Darocæ, Ferdinandi Sanchez Proc. princ. legitimè, plenequè probatum extiterit immemoriali possessione; & aliàs, competere eisdem ius decimandi, & fructus decimales percipiendi, parrochianorum vicinorum parrochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis eiusdem Ciuitatis, & districtus: videlicet omniū Infantionum tàm creatorum, quam creandorum. Quorum verborum vi Milites etiam comprehendi clarè apparet: siquidem Infantiones apud nos nascuntur; Milites veró, nisi actuali creatione seu promotione ad militiam non fiunt. Quam quę immemorialem possessionem adeò munitam à multis præteritis annis, dictæ Sanctæ Mariæ Capitulo, tanquam Matri, & Matrici competere; Petrus Santius de Luparia Officialis huius nostræ Curiæ, in quadam sententia in præsenci processu exhibita fassus fuit. Nec oberit, rem fuisse inter alias actā, & per cōsequēs in hoc casu & materia inextēsibilē: cū enim ipse Petrus Santius certus esset, vt ipse fatetur, præfato capitulo priuilegiorum, & immemorialis possessionis virtute, tale ius fructuum decimaliū omnium Infantionum creatorum, & creandorum, percipiendi competere; ac per sententiam diffinitiuam D. Vgonis Cestsaran. Episcopi ob hanc rationem, in quadam causa cuiusdam Militis parrochiani parrochialis Ecclesiæ Sancti Petri eiusdem Ciuitatis, illius decimales fructus dicto Sanctæ Marię Capitulo applicatos extitisse: mirum non fuit, per dictum Petrum Santium: decimam Infantionis parrochiani S. Ioannis de la Cuesta, dicto Sanctę Marię Capitulo soluendam mandasse. In cuius confirmatione orta in posterum controuersia inter præfatum Capitulum Sanctæ Mariæ, & Vicarios ac Clericos parrochialis Sancti Michaelis, & aliarum quinque parrochialium ciuitatis Darocę, per arbitralem senteetiam, assensu Domini D. Lupi Arhciepis. Cæsaraugust. munitam; dictis sex Ecclesijs decimales fructus suorum parrochianorū Peiteriorum (hoc est) Pecheros, tantum fuerunt

asig-

aſsignati: Infantionum verò creatorum, & creandorum, etiamſi illarum extitiſſent Parrochiani; non illis, ſed prędicto Capitulo Sanctæ Mariæ, ex ſupradictis iuribus applicati, & aſsignati fuere. Ergo ex his manifeſtè conſtat, non agi de re inter alios acta. Quod etiam iuuatur per alterã ſententiam authorizatam per Dominum D. Alphonſum Archiepiſcopum, & recenter per alteram Domini Licentiati D. Gaſparis Arias de Reynoſo, aliamquè D. D. Ludouici Sarabia, de duobus Militibus: ex quibus ſupradicta extant ſatis communita. Ex quibus, & alijs in pręſenti proceſſu exhibitis, & allegatis, Vicario, & portionarijs S. Michaelis, ſuper petitione decimalium fructuum omnium Militum, ac Infantionum; etſi eiuſdem parrochiani fuerint, ſilentium imponimus perpetuum. Reſpectu verò parrochianorum Signi ſeruitij, vt antiquitus conſueuerunt, percipiant. Prædictis verò Decano, Canonicis, & Capitulo Sanctæ Mariæ Corporalium dictæ ciuitatis, vt veris dominis: omnes decimales fructus ab omnibus Militibus ac Infantionibus creatis, & creandis, parrochianis dicte parrochialis S. Michaelis ſolui mandamus. Neutr m in expenſis condemnantes. Ita pronuntiamus Nos D. Antonius Xabierre Officialis. Dictaquè diffinitiua ſententia, ſic per dictum Dominum Officialẽ in ſcriptis, vt permittitur, lata, & promulgata: dictus Ferdinandus Sanchez Proc. illam acceptauit in quantum pro ſe, ſuiſquè princi. facit, aut facere poteſt: in quantum verò contra eos facit, aut facere poteſt; in eadem non conſenſit, & proteſtatus fuit de appellando, & habendo recurſum ad debita iuris remedia, & de omnibus alijs, & ſingulis ſibi licitis proteſtari. Eodemquè ſupplicante fuit mandatnm intimari dictam ſententiam partibus ex aduerſo: & fuerunt conceſſæ literæ neceſſariæ in forma ſolita & aſueta, & iuxta ſtylum huiuſmodi Curiæ Eccleſiaſticæ Cæſarauguſtanæ. Dictus verò Michael Hieronymus Rios, in dicta diffinitiua ſententia non conſenſit; imó ſentiens ſe, & ſuos principales in eadem nimium læſos, & grauatos: timenſqué in poſterum fortius lædi, & grauari: â prædicta diffinitiua ſententia viua voce appellauit ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum Papam, Sanctamquè Sedem Apoſtolicam, & ad illum, vel illos, ad quem, ſeu quos de iure, & aliàs appellare, & prouocare poteſt, & valet. Supplicãdo dictæ ſuæ appellationi reſpondere, & tanquam iuſtè deferri, & appoſtolos reuerentiales, ſeu tales, quales de iure, & aliàs ſint dandi, & concedendi, ſibi dari, atquè concedi; cum quibus ſuam huiuſmodi proſequi valeat appellationem. Et dictus Dominus Officialis tacuit, à qua quidem taciturnitate dictus Michael Hieronymus Rios proc. prædictus, iterũ de

nouo

nouo appellauit ad quos, & prout ſupra, per eum appellatum exiſiit. Ex quibus omnibus, & ſingulis fuit confectum per me infraſcripum cauſæ præſentis Notar. hoc præſens publicum inſtrumentum, vnum, & plura, & tot, quod exinde fuerint fieri neceſſaria, atq; confici oportuna, præſentibus ibidē Antonio Çaporta, & Hieronymo Cornoza Notarijs dictæ Curiæ Eccleſiæ Cæſaraug. in dicta ciuitate Cæſaraug. habitant. pro teſtibus ad præmiſſa vocatis, pariterquè & aſſumptis, &c.

SIG✠NVM mei Franciſci à Caſtro & Bahamonde, in Ciuitate Cæſaraug. habit. Apoſtolicaquè auctoritate vbiquè publici Notar. & Scribæ principalis, vnius ex Scribanijs Curiæ Eccleſiaſticæ Cæſaraug. qui præmiſsis vnà cū prænominatis teſtibus præſens interfui, & hoc præſens pūblicum inſtrumentū prolationis ſentētiæ à ſuo originali præintitulato proceſſu extraxi, & cum eodem ſuo originali proceſſu benè, & fideliter compraui. In quorum fidem meo ſolito ſignaui.